



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorvm**

**VD16 B 5530**

Nona Conclusio. Secundum prædicta, iudicium sumend[u]m de spiritibus, nocte, per modum exercitus & bellantium apparentibus, & exercentibus hastiludia, vt vocant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

Nona Conclusio. *Secundum predicta, iudicium sumendum de spiritibus, nocte, per modum exercitus & bellantium apparentibus, & exercentibus hastiludia, ut vocant.*

**A**D huius conclusionis comprobationem facit, quod in sacris literis legitur etiam bonos angelos apparuisse in specie exercitus & pugnantium. 4. Reg. cap. 6. Cùm minister Elisei vidisset exercitum in circuitu ciuitatis, & equos & currus aduersariorum, nunciavit Eliseo dicens. Heu heu Domine mi, quid faciemus. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cū illis. Cùmq; orasset Eliseus, ait: Domine, Aperi oculos huius, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei. Iosue 5. Iosue vidit virum stantem contra se euaginatam tenentem gladium, perrexitq; ad eum, & ait: noster es, an aduersariorum? Qui respondit. Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Vir tenens euaginatam gladium, erat Angelus Domini. Hoc ergo modo cùm boni angeli ad bonum finem quandoque apparuerint, non est negandum malos etiam quandoque DEO permittente sub tali forma posse apparere ad malum finem, quem semper intendunt. Aduertendum tamen, quod quando arte magi-

ca in-

ca instructi faciunt apparere numerum militem, vt quandoque narratum est, aut sunt prestigia, aut Dæmones sub forma militum euocati ex pacto, quod Magus habet cum superiori Dæmone, cuius imperio alij subsunt. Nec etiam tales equites aut milites tam damabili arte in campum ducti vulnerant, aut vulnerantur. Quia si nocere possent, vt Guilielmus Parisiensis in parte vltima de vniuerso, cap. 22. ait, nulla turris, nulla munitio posset homines tueri ab huiusmodi hostibus, cum nec muro, nec valle quantumcunq; forti arctari & prohiberi possint, saltem aliqua hora, qua homines dormierint, aliquos iugulassent.

## DVBIUM TERTIVM

principale.

*Quid remedij esse potest, quando aliquis locus ita molestatur, aut vexatur à spiritibus, an aliqua potestate valeant pelli?*

**P**RAEMISSO eo, quod certissimum est: dæmonem nihil posse sine permissione Dei, in cuius potestate est eum soluere & ligare, præsens dubium per conclusiones plenius resoluedum erit.

H 4

Pri.